

interpretibus, quos Ecclesia Christi agnoscit.

XII. Sed ad confirmationem et consolationem piorum, ascribam symbolum ex Clemēte, epistola, ad Iacobum fratrem Domini. Eius uerba sunt: Oēs ergo homines, qui Christiano censentur uocabulo, patrem & filium & Spiritum Sanctum unum Deum, & Dominum ueraciter credere & confiteri oportet. Sine fide enim placere Deo nemo poterit. Christo itaque resurgente, & ascendente in caelum, misso sancto Spiritu suo, collata Apostolis scientia linguarum, adhuc in uno positi, symbolum, quod fidelis nunc tenet Ecclesia, unusquisque quod sensit, dicendo condiderunt, ut discedentes ab inuicem hanc regulam per omnes gentes praedicarent. Summam ergo totius fidei Catholicae recensentes, in qua & integritas credulitatis ostenditur, & unius Dei omnipotentis (id est, sanctae Trinitatis) aequalitas declaratur, & mysterium incarnationis filij Dei, qui pro salute humani generis, a patre de caelo descendens, de uirgine nasci dignatus est, quoquo ordine, uel quando mortem pertulerit, quomodo sepultus surrexit, & in carne ipsa